

pervenire, quod dilecti in Christo Albertus praepositus et conventus ecclesiae sancti Thomae apostoli in Lypz cum Heinrico de Waryn et patris suis videlicet Henningo, Thizone, Cunone et Alberto fratribus de Waryn coram nobis placitando taliter convenerunt, quod iidem de Waryn ad instantiam praedictorum . . praepositi et conventus omni iuri quod habebant in bonis sitis ante civitatem Lypz, quae Symon et Johannes fratres dicti Bech cives ibidem in Lypz ab ipsis in feudo tenuerunt, renunciaverunt voluntariae et cesserunt eadem bona pro se et suis heredibus libere resignantes, ita quod iam dicti praepositus et conventus proprietatem bonorum eorundem acquirere et comparare valeant ab illo vel ab illis, ad quem vel ad quos proprietatis dominium dictorum bonorum dinoscitur pertinere. Huius resignationis testes sunt dominus Gericus de Langenboy, dominus Heyzo de Mersburg, dominus Vlricus de Zweme, dominus Thilo de Münster, Conradus notarius curiae Mersburgensis, Thidericus rector scoliarium in Lypz, Henricus de Lvitz et alii quam plures fide digni. Et ne super eo dubium alicui in posterum oriatur, praesentem litteram sigillorum nostrorum munimine disposuimus roborari. Datum et actum Mersburg anno domini M^o. CC^o. nonagesimo quinto.

Nach dem Orig. im Rathsarchiv zu Leipzig. An Pergamentstreifen hängen die Siegel des Bischofs (zerbrochen), des Probst Dietrich, des Decan Herbert, des Scolasticus Heinrich und des Ulrich von Ostrow (Hodelrici de O.)

No. 46. 1295. 16. Mai.

Probst Albert und das Capitel beurkunden, dass des Klosters Mann Friedrich genannt von Honstete zu einem Jahrgedächtniss Zinsen im Dorfe Gorbuz erkaufte hat.

Albertus dei gratia praepositus, Johannes prior totusque conventus sancti Thomae apostoli in Lipzk universis Christi fidelibus hanc litteram inspecturis salutem in domino sempiternam. Ad omnium notitiam cupimus pervenire, quod Fridericus dictus de Honstete servus et familiaris ecclesiae nostrae comparavit dimidiam marcam argenti in villa quae dicitur Gorbuz^a) et quatuor pullos pro octo marcis argenti, quae utraque scilicet dimidiam marcam argenti et quatuor pullos pro remedio animae suae et pro anima patris sui et matris et fratris sui ecclesiae nostrae contulit, ita duntaxat ut dimidia marca in festo beatae Walburgis, pulli vero in carnisprivio perpetuo tempore annis singulis persolvantur. Praedictus vero census dabitur sub hac forma: quatuor rustici illius villae videlicet Jo. de Ouchiz et filii Someruelldonis, Cunradus filius Heinnonis sculteti, domina de Gorsene^b) et filii eius singuli istorum dabunt in festo beatae Walburgis Friderico quam diu vixerit medium fertonem argenti vel tres solidos usualium denariorum, pullos autem dabunt in carnisprivio, Friderico vero defuncto praedicti rustici seu successores eorum, qui residebunt in eisdem bonis, dabunt praenominatum censum priori ecclesiae nostrae, ut ipso ordinante tam in anniversario Friderici quam etiam in anniversario patris sui F. et matris suae B. et fratris sui H. saepe dicti denarii et etiam pulli cedant ad servitium

a) Ueber Gorbuz vgl. No. 28. b) Vgl. No. 49.